



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris
Petri Marchantii**

Zurmöllen, Heinrich

Neuhusii, 1677

Art. 2. An perfectio ad quam Religiosi tendunt sit major ea ad quam
caeteri Christiani tendere debent

urn:nbn:de:hbz:466:1-9734

sufficientia, quæ consistit in adimpleione
præceptorum, de hac Matth. 5. v. 48. *Estote
perfecti sicut & pater uester cœlestis perfectus
est:* 2. *Est perfectio Religionis: quæ con-
sistit in observantia Consiliorum,* de hac
Matth. 19. *Si vis perfectus esse vade & ven-
de omnia quæ habes.* 3. *Est perfectio præla-
tionis quæ consistit in Regimine subdito-
rum.* 4. *Est perfectio operationis: quæ cō-
sistit in ostensione exemplorum.* 5. *Est per-
fectio tranquillitatis, quæ consistit in con-
sumatione difficillimorum & optimorum.*

4. *Perfectio ad quam Religiosus status
ex natura sua tendit est sincerus Dei A-
mor super omnia, quatenus via mandato-
rum Dei, & consiliorum Evangelicorum,
voto & observatione acquiritur, ita S. Tho-
mas opus: 18 & sequentibus & Doctores
sancti communiter.*

Articulus Secundus.

*An perfectio ad quam Religiosi tendunt,
sit major, ea ad quam cœteri Christiani
tendere debent.*

1. **P**otest quidem interdum aliquis Chri-
stianus in sæculo remanens, ad perfe-

etiorum amoris gradum pertingere, quam Religiosus votis adstrictus, haec enim perfectio à Deo dirigente varijs donis, promovente ineffabili sua providentia provenit, qui cui vult, & quomodo vult, dona sua distribuit, non habita ratione status, vel personæ, nec est qui dicere audeat cur sic facis.

2. Perfectio vero charitatis, ad quam Religiosi ex vi status & professionis suæ tenderent tenentur, excedit multis gradibus perfectionem omnibus Christianis communem. Nimirum: Efficacia mediorum, excellentia operationum, puritate & unitate finis. Efficacia mediorum in tribus votis consistit, Paupertatis, Obedientiæ, & Castitatis: cum enim qui in sæculari vita degunt, tribus maxime aciebus impellantur, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, ac superbia vitæ, sub triplici hoste: Carne, mundo, & Diabolo, qui Rex est super omnes filios superbiæ, quibus homo vix & ne vix quidem, nisi singularissima gratia resistere potest: Religiosus tribus votis se obligans, ab eis velut imminutus

evadit: à concupiscentia quidem oculorum & mundo, paupertate: quæ omnia relinquit, à concupiscentia carnis & carne: castitate: à superbia vitæ & Diabolo: propriæ voluntatis abrenuntiatione, sub obedientiæ jugo.

3. Excellentia operationum: in perfectissima sui consecratione in obsequium Dei, attenditur. Religiosus enim se totum in Holocaustum offert, & quidem holocaustum medullatum, quippe qui mundū, carnem & seipsum, in altari crucis consumit, ita S. Gregor. *Hom. 20. in Ezechiem circa finem*, (ubi sic ait) *Cum quis aliquid Deo vovet & aliquid non vovet, sacrificium est: cum vero omne quod habet, omne quod vivit, omne quod sapit, omnipotenti Deo vorerit, Holocaustum est.*

4. Puritas & unitas finis in hoc consistit: quod soli Deo adhaereant, & velut in illum ut scopum omnes colliment; quod paucis verbis Christus confirmat: *Si quis (inquit) vult post me venire, abneget semet ipsum & tollat crucem suam & sequatur me. Ad hoc enim collimat sui abnegatio per*

per perfectam renuntiationem: Bajulatio crucis per utriusq; hominis mortificationem, sequela Christi per purissimum amorem, ut cum Paulo Religiosus dicere possit: ad Galat. 2. v. 20. *Christo confixus sum cruci, vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus.*

Articulus Tertius.

De Voto in genere.

1. **V**otum est promissio valida facta Deo, dicitq; voluntatem firmam se obligandi; ut autem votum sit validum, & in conscientia obliget, requiruntur quinque conditiones. 1. Ut sit deliberatum: id est ut fiat cum plena animadversione rei quæ agitur, quia votum est lex & servitus voluntaria. 2. Ut sit liberum: id est, non metu vel dolo injusto extortum, & aliunde error vel ignorantia voluntariorum non tollat, quia votum metu injurioso extortum est invalidum: metus vero rationabiliter incussum, vel ex naturalibus causis ortus, votum non invalidat. Ut cum quis vovet in morbo gravi, naufragio, mortis,

L 5

peri-